

LXXXI.

Anno 1325. In Vissegrad.

Statutum Caroli Regis, quo decernitur, incolas Banatus Slavoniae unius Bani jurisdictioni subesse, nec a quoquam coram Palatino aut Curiae Regiae aut quocunque alio iudice in jus vocari posse.

Nos Capitulum Chasmensis ecclesie memorie commendantes significamus quibus expedit vniuersis, presencium per tenorem, quod Anno domini Millesimo trecentesimo vigesimo quinto, in vigilia beati Luce evangeliste, nobiles et prouidi viri, videlicet Mark filius Hegen, Johanes filius Vrbani, et Nicolaus filius Jwachini filii Mortunus de Kamarcha, ad nostram personaliter accedentes presenciam, exhibuerunt nobis Litteras patentes Domini Karoli Dei gracia illustris regis Hungarie, non abrasas, non cancellatas, nec in aliqua sui parte viciatas, petentes a nobis precum cum instancia, ut tenorem et formam earundem nostris in litteris priuilegialibus de verbo ad verbum inseri, et transsumpti faceremus nunc Sigilloque nostro autentico consignari, quorum petitionibus iustis et honestis annuentes, maxime, quia easdem iustas et laudabiles fore comperimus, ipsas de verbo ad verbum presentibus inseri, et transscribi fecimus, nostrique Sigilli appensione communiri, quarum tenor talis est: Nos Karolus Dei gracia Rex Hungarie, memorie commendantes significamus quibus expedit tenore presencium vniuersis: quod tanto magis regale sceptrum extollitur, quanto a sollicitudinibus releuatur, et quanto tribunal ipsius digniores in circuitu conspicit contriuios regionis; porro hac consideratione commoniti, qui de celesti prouidencia regni moderamur abenas, ad reformationem nostri regni precipua reddimur cura solliciti, quia honor Banatus tocius Slavonie, prout ex litteris Magnifici viri Mykch Bani eiusdem regni Slavonie, dilecti et fidelis nostri recepimus, per exemptiones, quas per nos, aut predecessores nostros, ad importunitatem petencium fere omnibus Nobilibus de Slavonia scimus esse concessas, in Iudiciis, Jurisdictionibus, et Juribus suis valde est, ymmo omnino diminutus; volentes vt ipsius Banatus honor sic magnifice moderetur, et ex magnificentia ipsius Banatus excellentia regia decoretur, et quiescat, sicut in diebus antiquis, omnes exempciones, si quas quibuslibet Nobilium terre Banatus a nobis, vel nostris predecessoribus obtinuissent, per quas se a Iudicio, et Jurisdictione, aut Jure Banatus in aliquo retraxissent; de prelatorum et Baronum nostrorum consilio, et consensu revocantes, et cassantes, prouida deliberacione statuimus, quod universi et singuli homines, tam nobiles, quam alii cujuscunque preeminentie, conditionis, et status existant, ultra fluuium Drawa, in tota terra Banatus constituti, Iudicio et Jurisdictioni Bani pro tempore constituti subiaceant, et nullus possit aliquem de terra Banatus co-